

Aug. c. 3.
cont. mend

c. 7. cont.
mend.

his verbis. Mendaciorum genera multa sunt, quæ quidem omnia universaliter odisse debemus, nullum enim est mendacium, quod non contrarium sit veritati. Nam sicut lux & tenebræ, justitia & iniquitas peccatum & recte factum, sanitas & imbecillitas, vita & mors, ita inter se veritas mendaciumque contraria sunt, & quanto magis amamus istam, tantò illud odisse debemus. Taceamus rationes quas plerumque Philosophi adducunt & ipse *Arist.* 4. *Eth. c. 7. scribens per se omne mendaciū est vituperabile, verum autem probum ac laudabile, cui assentitur Thomas: Deinde quod mendacium natura sua contineat duplicem deformitatem seu malitiam rectæ rationi repugnantem, nempe abusum sermonis, deceptionem proximi & violationem amicitia humanæ, quod prolixè probat sæpe citatus B. Meisnerus. Manet igitur quod ait August.* Interest quidem plurimum qua causa, quo fine, qua intentione quiddicatur, *ea quæ cõstat esse peccata nullo bonæ causæ obtentu, nullo q. bono fine, nulla velut bonæ intentione faciendæ sunt.* De his autem ideo prolixius qui bene multi ut jam dictum, qui quascunque simulationes admittunt, etiam eas, qui absque mendacio s. fallacia committi non possunt, ut videant, quam belle sacris literis, Patribus & rectæ rationi contrarientur.

cit. Danh.
H. P. p.
1443.

Liquet denique quid sentiendum s. de iis qui peccant in defectu; Nihil certe magis optandum, quam ut omnibus hisce simulationibus, æquivocationibus, reservationibus remotis & sublatis veritatem indagaremus cum tamen dentur nonnulli casus, in quibus vix absque harum usu feliciter progredi poteris, urgente necessitate concedendus erit; In quotidiana conversatione n. si hoc quoq; concederes facile *συμπολιτείαν* homini summe necessariam ejusque naturæ implantatam quasi tolles. Hinc quidam d. conatu irrito probare volunt æquivocationem prorsus esse illicitam, esse enim principium confusionis Babylonicae, maledictionem populi Christiani, pertinere ad doctrinas Dæmoniorum, justitiæ repugnare, firmissimum Christianorum solatium evertere, & Lucianismum sapere, mendacium & sycophantiam fovere, virtutem omnem enervare, pacem Reipubl. pessundare, dogmaque ipsissimum Machiavellianum esse, Atheismo viam sternere, sanctitatem omnem & confessionem fidei nostræ tollere, blasphemias